

legens Judaeus finxit Chaldaeos adorasse draconem, belluam rapacem, quod in nullo antiquo scriptore legitur, si Josephum Gorionidem excipias, qui illam fabulam retulit. Deinde fabulae autor addit, qua ratione Deus belluam illam visitaverit, nempe opera Danielis, qui absconditis sub stramine clavis acutis eam interfecit, quo ipso significare voluit, Danielelem vanitatem idolorum Babyloniae re ipsa demonstrasse, partim explicatione somniorum Nebucadnezaris, partim confessione veri Dei. Porro fabulae autor docere voluit, gloriam regni Babylonicum periisse, atque ex ejus ore protractos esse Judaeos, quod imagine viscerum draconis aculeis perfossorum, & oris omnia projicientis, praefiguravit. Ut hujus fabulae significatio constaret, addidit autor Judaeus: *boc est, quod dictum est Jer. Ll. 44. & visitabo super Bel in Babel, & educam, quod deglutivit ex ore ejus.*

§. 10.

In Josepho Gorionide L. 1. C. 2. p. 17. & 18 edit. Gagnier. & in Daniele Graeco Bibl. Antv. Cap. XIV. aliis & diversis eadem fabula circumstantis relata legitur, ut vulgo in fabulis fieri solet. Circumstantiam Habakuki Danieli in leonum foveam cibum apportantis, omisit Gorionides & Autor in Bresch R. & tantum legitur in Daniele Graeco Theodotionis. Si quaeras, quid antiqui ea indicare voluerint, respondeo, Habakukum prophetam coetaneum fuisse Danielis, & officio prophetico functum esse in Judæa apud pauperes Judaeos in patria residuos, cum Daniel juvenis inter Chaldaeos viveret. Et quoniam Habakuk pro populo intercessit apud Deum, autor fabulae forte putavit,

B

Haba-